

Dissertatio inauguralis medica de morbis lienis ... / praeside Friderico Hoffmanno ... pro gradu doctorali summos in medicina honores rite consequendi d. [blank] Februar. Anno M. D. CC IV. ... publico eruditorum examini submittit Michael Pfitzner.

Contributors

Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Pfitzner, Michael.
Universität Halle.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Literis Chr. Henckelii, [1704]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mnnz2mfg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

MORBIS LIENIS,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS

BRANDENBURGICI HEREDE,

&c. &c.

In Illustri Academia Fridericiana,

EX DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNNO,

D. MEDICINÆ ET PHILOS. NAT. PROF. PUBL. ORD.

POTENTISS. REGIS BORUSSICI CONSILIARIO

ET ARCHIATRO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO ÆTATEM COLENDO,

PRO GRADU DOCTORALI

SUMMOS IN MEDICINA HONORES RITE
CONSEQUENDI

d. Februar. Anno M. D. CC IV.

IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante & Pomeridianis

publico Eruditorum examini submittit

MICHAEL PFITZNER,

Vratisl.

DEO
PATRIÆ
PATRONIS
FAUTORIBUS
atque
AMICIS

facrum esto



PRÆFATIO.



Sullum Viscus uni-
 versi corporis humani varia à Me-
 dicis fata expertum est, nostris im-
 primis temporibus, certe est ipse
 lien : Nonnulli enim eo perducti
 sunt ut viscus plane inutile & otio-
 sum cum Erasistrato & Ruffo E-

phesio haberent. Quinino carere hoc ipso hominem
 posse, salva vita & sanitate ex LIENIS canum excis-
 sione probare contenderunt. Taceo quanta conten-
 tione & dissensione assertio muneris ejus tractata fuerit,
 dum veteres sedem melancholiæ esse, ibique succum-
 atrabilarium separari asseverabant : alii ex recentioribus
 singulare ibi locabant fermentum subacidæ naturæ, quo
 sanguis imprægnetur & condensetur ; quidam ad spiri-
 tualcentiam sanguinis ; nonnulli ad bilis secretionem
 in hepate conferre hoc viscus existimabant. Silentio
 quoque transmitto varias anatomicorum de hujus par-
 tis structura sententias, quippe fuerunt, qui merum pa-
 renchyma sanguinis credebant ; recentiores vero, et-
 iam in diversas adhuc abeunt opiniones, dum vel ejus

structuram ex fibris & cellulis innumeris contextam, alii ex meris vasculis ipsum conflatum esse asserunt; quidam glandulas statuunt, quidam negant, alii anastomosis arteriarum & venarum inter se invicem, alii extravasationem sanguinis in hoc viscere credunt. Hoc saltem, quod maxime pertinet ad nostrum institutum de præsentia attingere lubet, quod plane in fontem esse MORBIS LIENEM quidam statuunt, neque in melancholia, scorbuto, malo hypochondriaco, illud viscus esse accusandum affirmant; cum alii e contra sedem morborum chronicorum & eorum principis hypochondriaci mali, cachexiæ, hydropis, scorbuti sedem ibi firmam ponant. Cum autem una sit Veritas, quæ sub tanta discordia autorum & opinionum disconvenientia subsistere nequit, igitur tentandum & inquirendum est, quos morbos proprie patiatur LIEN, & quæ mala corpori reliquo conferat. Quoniam vero hæc res non exigui usus erit in medendo, certe miratio subit animum, per paucam reperiri mentionem in Practicorum recentiorum libris, de LIENIS MORBIS, & quod nullus ex pro-
fesso, hoc notabile & utile pertractaverit argumentum.

Suscepimus itaque id laboris & sub favente Numine altissimo, non modo historiam anatomicam & naturalem ipsius LIENIS trademus, sed & Affectuum quibus obnoxius sit explicationem medendique methodum aggrediemur.

Lienis historiam anatomicam & naturalem exponit.

§. I.



DE Lienis vitiis dum sumus acturi melioris doctrinæ & elucidationis gratia non inutile erit, de lienis structura, connexione & usu quædam prælibare. Notum autem ex anatomicis est, lienem situm habere in hypochondrio sinistro, proxime sub diaphragmate, inter costas spurias ipsumque ventriculum prope renem sinistrum. Conneditur vero parte convexa quandoque diaphragmati, verum non firmiter sicut hepar, sed superficialiter, nervosis quibusdam ac tenuibus fibris ex peritonæo enatis, ipso peritonæo autem sub costis spuriis firmitus alligatur, gibbum ejus interdum sinistri renis involucri, multo adipe referto adhæret, concava autem & depressa parte pancreati, omento, nec non ventriculo per vasa, nempe & membranam peritonæi; hisce vinculis ligatus in corpore bene habito ultra infimam costam non descendit. Figuræ est oblongæ & ovalis; ratione texturæ, in margine satis crassus non tenuis instar hepatis. Color variat pro diversitate ætatum & temperamentorum, in foetu rubeus plerumque, in adultis ex atro purpureus, in provectæ ætatis hominibus sublividus. Magnitudo diversa quoque est pro corporum & constitutionum diversitate; ordinario longitudinem habet sex digitorum transversorum, latitudinem trium, crassitiem pollicis. Cingitur membrana duplici: externa satis valida & robusta est, & longe robustior tunica hepatis, in hominibus autem tenuior est, quam in bestiis,

vitulo, cane &c. Exterior autem à peritonæo, vel potius ab exteriori membrana, vasorum lienem ingredientium pronascitur, nam interiorem expansio extremitatum fibrillarum innumerarum, quibus lien constructus est, constituere videtur, hæc valde porosa est, nam quando arteria splenica inflatur, ventus percipitur transire interiorem, minime exteriorem.

§. II.

Quod ad structuram ipsam Lienis attinet in diversa hic abeunt recentiores etiam exercitatissimi Anatomici. Primus *Malpighius in Exercitatione de Liene* affirmavit; totum lienis corpus membranarum congeriem esse, in cellulas ac concamerationes, veluti apum favos efformatam ac per excurrentes fibras nerveas innumeras firmatam, intra quas collocatæ apparent glandulæ. De liene ovino & vitulino, quod pure cellulosi sint, res extra controversiam est, in iis ramus saltim arteriæ conspicitur, qui sanguinem adducit isque per cellulas ac sulcos cribri instar transit non secus ac per interiorem penis cavernosam substantiam, tandemque in sinum venosum recipitur. Negant autem has fibras & cellulas in splene ex Recentioribus maxime *Ruyschius qui in Anat. Epistolis* docet, totam humani lienis structuram esse mere vasculosam, & ex numerosissimis propaginibus arteriarum & venarum in helices contortarum & serpentino ductu progredientium, ipsum constare, deesse autem illas cellulas, quæ visuntur in liene præsertim vitulino. Non possum autem non, quin hic moneam utique diversam imo præstantiorem structuram esse lienis humani quam reliquorum animalium: Equidem copiosissimis vasis tam arteriosis quam venosis & innumerabilibus ramificationibus minimis & capillaribus ipse instructus est, id quod dudum etiam præter *Ruyschium, Casserius Placentinus* notavit & pulcherrima imagine, expres-

expresfit, *vid. Tab. IX. L. VIII. Anatomica.* Illudque jam ante octo annos *Excell. Præses, Patronus ac Promotor meus æternum devenerandus*, injectione liquoris rubicundi in arteriam splenicam, publice demonstravit, quod præparatum adhuc in scriniis suis servat. Verum enim vero pace hujus, & aliorum clarissimorum virorum affirmare cum D. PRÆSIDE cogor, lienem humanum præter vascula ipsa copiosissima, non fibrosarum cellularum, retis in modum formatis concamerationibus plane destitui, quas fibras omnes cavas & tubulos arteriosos & venosos esse minus recte *Ruyfchius* existimat. Sequentia autem structuræ lienis indagandæ magnam lucem foenerabunt experimenta. Notabile est corpus lienis humani foramine facto in Membranam ejus & flatu immisso, mire posse flatu distendi, manifesto indicio dari spatium quoddam inter has membranas & vasa: Deinde corpus lienis & ejus extima membrana, flatu immisso in venam splenicam, vel etiam arteriam ejus, eodem modo in magnam tumorem attollitur. Porro & illud notari meretur, quod aqua calida injecta per arteriam splenicam ea ipsa ægrius refluat per venam, bene autem & commode per foramen tunicæ ejus externæ immissum. Deinceps elutriari commodissime à sanguine potest Lien, si per siphonem immediate in lienis corpus per ejus tunicam aqua infunditur; quo fit ut etiam nulla prius injectione aquæ facta in vasa albicantes fibrillulæ & cellulæ in conspectum veniant. Quod si ergo totus lien esset vasculosus & vasa invicem arcte essent juncta, experimenta hæc, quæ sæpius cum successu tentavit *Excell. PRÆSES*, essent omnia irrita. Accedit & illud quod liquor rubicundus tenuis, qui tamen postea consistentiam acquirit injectus in arteriam splenicam, impleat copiosa vascula serpentino ductu hinc inde contorta arteriosa, si in vasa venosa cum viridi liquore id quoque fiat, relinquuntur multæ fibræ albicantes in quas non transeunt liquores

res injecti. Quapropter statuimus lienem humanum non esse tantum vasculosum, sed & fibrosum, fibræ ipsa hæc vasa fulciunt, expansa & exporrecta tenent, quæ alias facile in se conciderent, fibræ hæc fluido nerveo animatæ, strictura & tono suo, ut sanguis redeat in vasa, conferunt. Glandulæ autem quas Malpighius in liene statuit nullæ visuntur, sed potius congeries conspicitur tenuissimorum vasorum capillarium in extremitatibus vasculorum quæ secundum Præsidentem villosam quandam vesicularem muscosam substantiam constituit, perquam arteriosi & venosi rami majores invicem communicant.

§. III.

Antequam autem de usu lienis nostram sententiam proferamus, utile erit primo de eorum vasis & nervis quædam dicere: Arteria videlicet est ex coeliaca, cujus ramus sinister tendens splenicus vocatur, hic suffultus Pancreatis glanduloso corpori & capreolorum vitis instar flexuosus, totus in lienem absimitur, nisi quod ante ingressum in hoc viscus bifurcetur & ad ventriculum vasa spargat breviora, alia deorsum ad epiploon, medio itinere ad pancreas. Vena splenica, procedit ex porta, & est ejus sinister ramus, qui splenicus dictus, antequam ingreditur lienem, duplici gaudet tunica, interna subtili & tenui, externa valida & crassa, quæ posterior non ultra internam lienis membranam procedit. Dividitur & vena in tres vel quatuor insignes ramos, quorum ramuli per cellulas transeunt, in iisque terminantur. Vasa omnia ingredjuntur lienem circa futuram quæ dici solet linea recta. Notandum hic quod ex trunco venæ splenicæ, nonnunquam enascatur ramus qui ad anum tendit & dicitur hæmorrhoidalis, nam sanguinem per arteriam mesaraicam inferiorem adductum, hic longo itinere per ramum hunc colo & mesocolo annexum reducit ad hunc truncum venamque portæ, hujus delineationem elegantem vide in *Casserii Tabal. cit.* Quod attinet vasa breviora, tendunt

dunt hæc ex arteria & vena duo vel tria ad ventriculi fundum & eam in partem implantantur ubi Ventriculus tenuissimus & maximam Cavitatem habet in sinistro latere. Memorandum & hoc loco est, quod inter arteriæ & venæ splenicæ ramum superiorem ante lienis ingressum notabilis anastomosis occurrat, quam primus omnium eleganter depinxit idem *Casseri* *l. c.* hujus etiam facit mentionem *Higmo-*
rus. Hanc anastomosis sine dubio provida natura instituit, ut si forsan lien infarctus & plenus sit sanguine, hic ipse mox per venam ante lienis ingressum possit absorberi & reduci ad hepar.

§. IV.

Præterea nervi quoque lienis interiora subeunt & individue arterias comitantur. Oriuntur hi ex plexu gangliiformi semilunari sinistri lateris, qui partim ex intercostali partim ex octavo pari coalescit, quorum interiores nerveum plexum stomachicum, nec non mesentericum constituunt, exteriores autem sursum delati nerveum plexum lienarem efformant, sicuti id clarissimus *Vieussens* in *Neurographia* p. 385. demonstrat. Hujus nervei funiculi sanguifera splenis Vasa vinciunt, intimamque illius compagem penetrant, quorum tamen quidam in membranam qua succingitur, explicantur: hi nervi totam compagem lienis, quasi retiformi fibrarum textura constantem, velut succutiendo, lienosi sanguinis motum urgent. Dicendum & hoc loco est, quod nervi antequam lienem ingrediantur, communi capsula includantur, quæ capsula crassa est, in ipsa maxime parte quam occupant nervi & arteriæ, ubi autem Venæ sitæ sunt, admodum tenuis est velut reticulum. Lien lymphaticis quoque abundat, quæ in membrana exteriori maxime sunt inter tunicas conspicua, tendunt maxime ad istam, partem ubi venæ & arteriæ lienem ingrediantur, ut in receptaculum chylilympham exonerent.

Quoad usum lienis, videtur ille ex structura ejus optima ratione posse elici. In universum enim tenendum est, cum in circulo sanguinis libero & expedito, vitæ & sanitatis ratio contineatur, naturam providissime per multa viscera sanguini fluiditatem & spirituascentiam conciliare, utpote spirituascentia motum, fluxilitas autem mobilitatem sanguini unice foenerat. Utitur eum in finem attritu & impulsu sanguinis per copiosa & minima vasa. Huic usui etiam pulmones destinati sunt, constant enim ex copiosissimis & minimum divisis vasorum ramulis, ut sanguis ibi transiens, discerpatur, divellatur, subtilifetur, fluidusque fiat, unde etiam fluidissimus ex ipsis egreditur ad spirituascentiam etiam aptissimus. Simili usu lienem gaudere sententia nostra est, ut nempe per multiplices istos copiosissimos ramulos tenuissime divisos & convolutos attritione & pressione sanguis a sua cohæsione magis divellatur, attenuetur, solvatur, quod vel ad oculum apparet, dum floridior & mineato coccineo colore imbutus ex hoc viscere redit. Præterea videtur probabile, lympham elasticam spirituosam, ex nervis per poros tenuissimorum vasculorum & substantiam villosam sanguini communicari, unde ad spirituascentiam, utique lien multum confert. Opus autem erat hepati tali viscere, quod sanguinem floridum & spirituosum reddat, nam notum est, venam quæ dicitur portæ afferri sanguinem valde crassum immobilem longinque ex omni intestinorum tractu in ipsum hepar: notum & porro est, quod hæc vena nullo gaudeat pulsu, qui tamen necessarius esset, ut per capillares vasorum ramos per hepar dispersos, sanguinem propelleret per venam cavam usque ad cor. Ne itaque sanguis crassus ex mesenterio rediens, hæreret in minimis venæ portæ vasis hepar penetrantibus, natura hic præter alia adminicula sanguinem fluidum & floridum ex liene redeuntem admiscet, ut eo melius circulum suum per hepar absolvere possit.

§. VI.

Statuto sic hujus visceris usu, facillimum jam erit exponere rationem horum phænomenorum & symptomatum, quæ evenire solent in canibus, quibus lien fuit exsectus: recenset hæc ipsa *Malpighius in Exercitat. Anat. de viscerum, structura C. 6.* Canis nempe voracior & pinguior factus fuit, plurimum & frequentius mingeat & tumor in dextro hypochondrio protuberabat ingens; Insecto rursus abdomine lien gracillimus apparuit & hepar maximum & vasa ad ventriculum & omentum valde turgida sanguine, dum enim sanguis non poterat accedere hoc viscus, quod tamen, multis scatet vasis, necesse fuit, ut, cum copia sanguinis in corpore non fuit minuta, vicina vasa & maxime hepar distenta fuerint a sanguinis copiosiori ingressu, unde tumor hepatis & vasorum ventriculi dependet, forsitan frequentius mingeat, propter sanguinis majorem accessum ad renes, glandularumque renalium & siphunculorum poros magis dilatatos. Vel etiam ratio hujus phænomeni hæc dari potest, quod sanguinis solida pars cum fluido ferro intime uniri & misceri soleat per transitum lienis attritura nempe, & pressura adminima ista vasa frequenti, quæ si cessat, facile ferum separatur a sanguine & per renales glandulas transit. Voracitas autem nascitur a menstruo salivali gastrico acidiore ejusque propter ampliata vasa stomachica instillatione in ventriculum largiori facta.

CAP. II.

Vitia lienis tradit.

§. I.

DEscripto jam statu secundum naturam visceris hujus traditisque iis, quæ ejus structuram, usum, situm & connexionem patefaciunt, facilius jam erit ad explanationem status præternaturalis descendere, ejus-

que vitia exponere. Primus vero & frequentissimus quem patitur lien adfectus est ejus tumor & inflatio. Vocari solent tales ægroti ab *Hippoarate* lienosi, & tumores hi magni dicuntur, splenes. Observationes vero practicæ, anatomicæ testantur ad miram magnitudinem excrevisse lienem. Ita notabilis *observatio XIV. Gerhardi Blasii*, qua mentionem facit de muliere tumore sinistri lateris laborante, qui graviditatis suspicionem referebat & inde augmentum sumebat, cum graviditate mobilitateque singulari, adeo ut quoties corpus in hoc illud velatus inclinaret, vel etiam in dorsum decumberet, corpus aliquot durum in ventris cavo de loco in locum moveri, manifeste sentiret; Cum extincta fuerit apertum fuit cadaver & repertus lien insignis magnitudinis, latus sinistrum & hypogastrium totum occupans, intestinis incumbens, pendulusque hærens, adeo ut pro varia corporis agitatione, varie etiam facile moveri potuerit, vasis splenicis mirum in modum & longitudine & capacitate auctis. Recensent quoque *Miscell. Nat. Cur. Dec. 2. A. 9. obs. 56.* In milite dissecto observatum fuisse lienem maximum pondere 8. libras æquantem. *Diemerbroeck in Anatom.* Anno 1657. profecuit cadaver in quo lienem invenit quadratum ac durum, æquantem capitis humani magnitudinem. *Aetius L. 7. c. 10. & 16.* scribit hoc viscus in lienosis nonnunquam longitudine sua usque ad inguina pervenire & latitudine jecur contingere. Hujusmodi lienes se quoque vidisse referunt *Vesalius L. 5. de Corp. hum. fabrica C. 9.* & *Marcellus Donatus hist. medica mirab. L. 6. c. 3.* Talem quoque annotavit *Cabrolus obs. 9.* qui pendeat libras 5. Multo tamen majores fuerunt illi lienes, de quibus scribit *Columbus Anatom. L. 15.* qui singuli excedebant 20. librarum pondus. Accidit etiam quandoque ut præ nimia magnitudine & pondere relaxentur ligamenta, humilioreque loco sentiatur lien; imo ea quoque disrumpantur, sicque in hypochondrium descendat, utpote vin-

vincula illa, quibus hepatis, reni, costis connectitur non adeo tensa ac firma sunt. Ita *Cabrolus* in nobili viro disrptionem, ligamentorum notavit, cui lien per totam ventris cavitatem natabat, & *Riolano* quoque id visum fuit in muliere Parisiensi in qua lien supra uterum subsedit & Medicos per biennium molæ specie fefellit, cum tandem fato defunctæ cadavere aperto, dicta tumoris & mortis causa inventa fuerit à liene delapso producta, *vid. Diemerbroeck Anatom. L. 1. Quinimo lien sæpius tam turgidus sanguine fit, ut externæ membranæ rumpantur & sanguis extravasatus in abdominis cavum effluat. Talismodi rupturas lienis annotarunt Tulpius L. 2 obs. 29. Fontanus in Vesalii Epitomen p. 21. Bohnius de lethaliitate Vulnerum & M. N. C. Decur. 2. A. 8. obs. 197. & Georg. Garnerus in observ. propriis.*

§. II.

Rationes si inquiramus cur lien tam ingenti sanguinis stagnationi & inde nascenti tumori obnoxius sit, plures sese offerunt, primo enim insignem considerationem meretur, quod sanguis refluus non modo ex omnium intestinorum & ventriculi tractu, sed & ex omento pancreate & liene universus infundatur trunco venæ portæ & per hepar transgrediatur ad venam cavam, per hanc autem ad dextrum cordis ventriculum. In toto autem corpore omnia vasa, quæ adducunt sanguinem ad partes, solent esse arteriosa, quæ impulsu & constrictione urgent sanguinem per capillaria vasa, eumque transfundunt in venas, excipitur autem hic solenniter hepar, cujus vas magnum adferens sanguinem copiosissimum ex dictis partibus est venosum, (nam arteria hepatica satis exigua est, hinc parvam quoque adducit sanguinis quantitatem) & dicitur vena portæ, per hanc quoniam impulso debito destituitur, ordinario sanguinis cursus per minima & innumera vascula hepatis tardior & languidior est, unde nisi difficultas hæc adjuvetur concussione perpetua diaphragmatis in continua respiratione, paratissima esset semper causa stagnationis

tionis & infarctus sanguinis circa hæc loca. Quodsi itaque vel ex defectu motus & respirationis imminutæ, vel ex defectu virium & spirituascentiæ in partibus musculosis, vel propter sanguinis lentorem copiam & crassitiem, tardissimus sanguinis per hepar fit transitus, non potest aliter fieri, quin regurgitans & stagnans sanguis, in venæ poræ ramificationibus ansam præbeat circulationi etiam tardiori sanguinis, non modo per mesenterium, ventriculum, omentum, pancreas, sed maxime omnium per lienem, necesse enim est ut retardetur motus sanguinis in arteriis eademque nimium distendantur. Altera autem causa cur lien tam insignem experiatur tumorem & infarctum, ejus est structura, ex copiosis & innumeris vasculis tenuissimis conflata quibus interposita est muscosa quædam & capillaris tenuis vasculosa substantia cum innumeris fibrillis; in hoc itaque contextu vasorum minimorum copiosissimorum facile hædere potest sanguis & insignem, molem ac magnitudinem conciliare huic visceri, quodsi tenuis illa muscosa & villosa, vasculosaque substantia, quæ ramificationes arteriarum & venarum interjacet & cuius interventu arteriosus sanguis intrat in venas, à nimia distensione disrumpitur non amplius in vasis manet sanguis, sed extravasatus magna copia irruit in fibrosum contextum lienis, quem ulterius totum mirifice distendit & talem tumorem efficit.

§. III.

Ansam autem & occasionem hisce tumoribus præbet primo omnium nimia sanguinis redundantia imprimis crassi, viscida, ex victu lauto, crasso, potu vinoso, cerevisia alimentosæ, motus abstinentia contracta, quare conspiciere licet sangvineos, habitus corporis spongiosioris & sangvineo melancholicos, qui sanguinem copiosum & crassiusculum alunt in venis, huic malo citius esse obnoxios, quam cholericos & phlegmaticos. Assensum huic sententiæ præbent variae notatæ observationes. Ita *Le Fortis Cent. 3. obs. 45.* affirmat, eos qui

qui assueti sunt crassis, dulcibus cibis, crapulisque dediti, facile incurrere tumorem lienis, præsertim tempore autumnali. Deinceps ex suppressis mensibus & hæmorrhoidibus sangvinis nimiam quantitatem ejusq; valde impuritatem augmentibus, lienem affectum fuisse testantur passim observationes; sic *Le Fortis Cent. 3. obs. 46.* virginem adducit, cui 20. ætatis anno, post febres & suppressa menstrua lien intumuit, ut non solum epigastrium, sed & hypogastrium obsederit. *Hildanus in Oper. p. 645.* ex suppressis hæmorrhoidibus, ortam fuisse gravissimam obstructionem lienis & quartanam, testatur. Quodsi enim solennes hæ criticæ sangvinis evacuationes cum sanitatis emolumento factæ, variis de causis supprimantur, non potest aliter fieri, quin sanguis copiosus lentius progrediens simul viscidus factus, affligat maxime ea viscera abdominis, quæ communicationem habent cum vena portæ, inter quæ ob vasa copiosa aptissimus est lien. Veteres exprimunt *μετάστασις* fieri sangvinis ad has partes. Ante omnia autem tumidos & magnos lienēs efficiunt febres intermittentes, perperam curatæ & intempestivo usu adstringentium suppressæ, præsertim si fuerit quartana quæ plus coeteris hepar & lienem affligere solet. Hæ namque febres plerumque nascuntur ex sangvinis & humorum copia, ac impuritate, distensione & transpiratu per cutim impedito & viscida biliosa amurca in intestinalium plicis ac valvulis hærente. Provido itaque consilio & sapienter utut per mere mechanicas causas id fiat, natura instituit vehementes motus ac spasmos in genere nervoso & fibroso, in sangvineis vasis commotiones æstuosas ac impetuosas, ut horum motuum beneficio, crassum & superfluum in sangvine & humoribus, resolvatur, attenuetur, expellatur, obstructiones referantur, unde saluberrima medicina tales febres existunt, si earum motus rite administret Medicus, vid. *Dissert. Excell. PRÆSIDIS, de salubritate februm.* Quodsi vero nimis cito, antequam materia febrilis, ob quam & per quam fiunt isti motus,

motus, rite correcta vel expulsa fuerit, adstringentium, quorum etiam spectat chin. chinæ vel anodynorum usu sistuntur & supprimuntur, non possunt non copiosi & impuri humores, præsertim quantitate delinquentes & effœti, nec non mobilitate ac spirituascentia defraudati, hæere & stagnare hinc inde in vasculosis visceribus & multorum magnorum, morborum, nempe febris hecticæ, cachexiæ, mali hypochondriaci, hydropis, obstructi lienis, dolorum in artubus viam apertissimam pandere. Porro tales progigni lienis tumores solent, quodocunque debilitatis corporibus, vel per longiores paroxismos febriles vel hæmorrhagias aut aliis modis mox per appetitum auctum ingeritur magna copia ciborum, victusque crassus & plenior instituitur, qui, quoniam ob vires defraudatas, non possunt sufficienter digeri, subigi & superfluum ab iis secerni, occasionem magnis cruditatibus præbent, quæ humores crudos, viscosos, minus spirituosos proferunt, qui in lienis minimis vasculis hærent, stagnant, & sic tumores ac infarctus producant.

§. IV.

Est adhuc alius modus expeditior in generandis viscerum & maxime lienis obstructionibus, quando nempe motus spasmodici mesenterii in hysteriis & hypochondriacis, mensibus vel hæmorrhoidibus suppressis laborantibus accidunt, tunc enim plexibus nervosis circa centrum mesenterii constrictis, simul vasa, angustantur & impediuntur humores in circulo, circa hepar & lienem. Quando etiam corpori nimis calefacto, vel per motum vel per febrem, ingeritur mox aquæ gelidæ largior haustus, notavit inde D. PRÆSES hydropem subitaneum & lienis infarctus ortos. Ratio in procinctu est, gelidus enim potus largus in venas lacteas inque calidum corpus celeriter absorbtus, serum mox condensat & coagulat, quod glutinosum & gelatinosum redditum, hæret quam prompte in tenuissimis capillaribus vasculis lienis, quæ obstipat & ita tumorem facit. Egregius hac de re locus

locus exstat in *Job. Langio*: Si quartanæ male curatæ hydrops accesserit, maxime accidere solet, si ægrotus in victu aberraverit & intempestivo frigida potu caloris lenimen quæsierit, quo humores ingrossati, obstructions ac scirrhum in hepate ac liene pariant & tum præcipue, si dejecti in paroxismo particulari caloris putridi exhalationem externo quæsito frigore cohibuerint, qui impulsus utrumque hypochondriorum viscus adurit & indurat. Ex classe alimentorum, dulcia, maxime lacticia, conferunt ad hoc malum: dulcia, spleni nocere, author est ipse antiquissimus *Pythagoras*, locum ejus ex *Heurnio meth. ad Praxin, L. 2. p. 414.* mutuabimur, inquit: splenicis acria & amara profunt, dulcia nocent. Idem sentit *Octavius Horatianus L. 2. c. 15. p. sq.* Spleneticis ab omnibus expedit dulcibus abstinere. Conferunt itidem potus aquarum palustrium, nivalium glaciatarum, de hisce, prodit *Celsus* quod splenes magnos & ventres duros faciant ac calidos. *Lindanus* refert Frisiorum vulgus, quod pro potu quotidiano utitur lacte ebutyrato acido, plerumque magnos habere lienes. Ex animi affectibus contribuunt diuturnus moeror, hic enim sicuti sanguinis cursum imminuit & inde crassitiem parit, ita ad generationem hujus affectus multum contribuit. Risu etiam nimio forti & familiari observavimus in sanguineo plethorico ingentem Lienis tumorem, sanguis enim crassus si est, sique violentia urgetur, in lienem, diaphragmatis descensu vehementi, propter copiam & crassitiem, facile in ejus angustiis hæret.

§. V.

Coeterum & Tempus anni ad splenis tumores aliquid confert, in universum accusare solent tempus autumnale, imo etiam vernum. Ita *Hippocrates Sect. 3. aph. 22.* scriptore reliquit: autumnos splenes fiunt & Idem Author de internis affectionibus *aph. 34* inquit: alius splenis morbus fit maxime veris tempore verum a sanguine. Et *Valerius Exercit. 40. de Morb. intern.* in medium affert virum cui ter aut quater in

anno, maxime vere & autumno ineuntibus intumuit lien. *Et Aretæus L. 2. c. 14.* inquit : autumnale tempus ad splenis morbos maxime facit. Ratio quare in autumno morbi vi-geant, mihi hæc videtur; hoc tempore ob maximam mutationem inæqualitatemque aeris, tonus fibrarum musculo-sarum quo administratur maxime sanguinis circulus, læditur & vitiatur, unde circulatio debita & excretio superfluum humorum impeditur, quapropter hoc tempus morborum est feracissimum, & hypochondriaci, hæmorrhoidarii, ar-thritici, catharrofi, tunc temporis pathemata & paroxismos suos experiuntur gravissime.

§. VI.

Alter morbus quem lien patitur est ejus Durities seu scirrhus. Primo omnium autem hic notandum, totum hoc viscus non indurescere vel scirrhosum fieri, ut nullus amplius sanguinis circulus per illud ipsum fiat, sed intelligen-dum id maxime est, primo de membranis, quibus lien cin-gitur, deinde de capillaribus vasculis constrictis & contra-ctis. Durities talis non tam fit a sanguine copioso ejusque infarctu, rarissime enim lienes nimis magni & tumidi sunt, simulque lapidosi & duri, utpote sanguis non induratur, sed lymphæ est & serum quod poros obstitat, concrescit & firmam sensus expertem substantiam induit, unde ante omnia membranæ lienis, in duras cartilagineas abeunt & visi-tur sæpius Lien quasi cortice lapidioso incrustatus talem ante duos annos invenit D. PRÆSES hic loci in servo morbo nigro mortuo. De splene prodimia parte duro cartilagi-neoque vide sis *obs. 168. Decur. I. Ann. 3. p. 288. Misc. Nat. Cur. Eadem Misc. Dec. I. ann. I. obs. 29. p. 100.* de magno agunt lie-ne cujus membrana gibbosa maxime illius parte cartilagi-neæ erat, ac per quam facile a subiecto corpore disjungi pot-erat. *Corn. Stalpart van der Wiel Obs. rar. obs. 49.* mentionem facit cadaveris, cujus lien, quo loci peritonæo alligabatur, solida & fere cartilaginea cute digiti circiter crassitiem æ-quante, obtectus fuerit.

§. VII.

§. VII.

Durities vero & scirrhusitas lienis, quia non a sanguine crasso copioso lienisque infarctu & obstructione dependet, ideoque in sanguineis & plethoricis raro contingit, sed potius phlegmaticis, inque sanguinis defectu, cachecticis & sero viscido impuro laborantibus, talismodi serum stagnat, in substantia villosa & fibrosa, nec non in vasis lymphaticis per membranas lienis disseminatis, replet & opplet poros, in iisque coagulatur, indurescit, nam duri tumores partium membranarum & fibrosarum plerumque fiunt a stagnatione feri. Ita videmus membranam scroti, peritonæi, duræ matris, etiam à stagnatione indurescere, densiorem ac crassiorem fieri, sic portio nervi in aquam frigidam immissa per aliquot tempus, quadruplo major fit, nam ipsum serum stagnans poris insinuatum fibrillulas expandit, postea dissipata subtiliori parte concrescit & indurescit. Oriri & manare solent tales scirrhusitates plerumque a magnis cruditatibus congestis post morbos diu perpeffos, v. g. diuturnam quartanam, nimias hæmorrhagias item aquæ frigidæ potum &c. Accusat *Le fortis Cent. 3. obs. 36.* adstringentium præposterum usum, dum inquit: sanguine crasso infarctus lien & non difflatus, præsertim si adstringentia usurpentur, duritiem scirrhusam producit. *Forestus L. 20. obs. 8.* duplicem esse scirrhum ait, vel ex se per paulatinam collectionem, vel Medicorum imperitia ex inflammatione male curata, vel nimium refrigerantibus applicatis.

§. VIII.

Tertioli lien obnoxius quoque est inflammationibus & exinde natis Apostematibus quamvis hic affectus rarior sit; sanguis enim in viscere tali vasculoso stagnat quidem & impeditius circulatur, sed non *σάσω* concipit qualis solet contingere in inflammationibus, quæ postea si non discuti possunt, vel in abscessum vel in pus aut in sphacelum degenerant. Talem abscessum lienem circumquaque cingentem *vid. apud*

Stalpartium van der Wiel obs. 48. dum nempe mulier de latere sinistro multum conquerebatur, mortuum enixa foetum, posteaque moriebatur; hujus abdomen foetenti pure repletum fuit, causa hujus mali fuit disruptio membranæ lienis, in qua copiosissimus pus existerat. Exemplum quoque vide in *Foresto L. 20. obs. 5. Joh. Riolanus Enchiridio Anatom. & Patholog. L. 2. c. 27.* in inflammationibus lienis pulsationem in sinistro latere vehementissimam observavit a qua valde costæ collidebantur.

§. IX.

Quarto lien aquosum tumorem etiam patitur à quo rupto hydrops cito oritur, solet hic tumor existere inter membranam lienis & ipsum parenchyma & ex ipsis vasis lymphaticis nimium lymphæ distentis, nascitur, fiunt primum vesiculæ, quæ vulgo vocari solent hydatides & sunt magnæ vasorum lymphaticorum expansiones, lymphæ repletæ, ex quibus ruptis lymphæ extravasatur & subito progignit hydropem. Ita *Jobus Mecceranus p. 416.* memorat, sese in liene rotundam vesicam, aqua repletam, suæque conclusam membrana reperiisse è qua aperta, pura albaque lymphæ prodibat. Ita etiam *Coiterus Libr. Obs. anat. & chirurgic.* reperiisse se, ait, in corpore cujusdam fune interempti, vesiculam quandam duobus pugnis magnitudine parem, quæ aqua plena, inferiori splenis parti annectebatur. De singulari quoque lienis hydrope agit *Carolus Piso de Morbis à sero sect. 1. p. 45.* Conferatur etiam hac de re *Thomas. Bartholinus Act. med. obs. 13. fol. 23.*

§. X.

Quinto lien corrumpitur, abitque in fœtidam putrilaginem, attestantibus hoc frequentibus historiis. Sic lienem nigrum instar picis notavit *Blancardus Observ. 59. Anatom. Pract. Misc. N. C. A. 10. Dec. 2. obs. 161.* mentionem faciunt maniaci qui postea lethargo obiit, lienem habuit ad levem contactum, diffluentem, aterrima sanie exstillante. Et *Theopilus Bonnettus Medic. septent. L. 3. sect. 5. c. 4.* vocatum se, ait, ad senatorem sexage-

xagenarium, qui per os ejecit humorem, nigredine cum atramento certantem & singulis postea hebdomadis redibat affectus; Cadavere aperto vitium lienis deprehensum fuit, qui summa parte carcinomate exesus, intus & extra nigricans erat, in ventriculum sarcina se exonerante. Et *Misc. N. C. Dec. I. ann. 6. obs. 133.* adducunt Virum, qui ob febriculam & melancholiam in delirium actus ut se ipsum suspenderit laqueo; cultro subjectus anatomico, lien, ablata qua tectus est membrana totus instar crassæ & nigræ amurcæ diffluit, nihil in eo solidum ut non creditum sit dissimile vero, ex corruptione melancholici visceris, miserum in deliria actum fuisse. *Felix Platerus L. 2. observ. p. 469.* notavit, quod lien in huiusmodi cadaveribus, instar coagulatae sanguinis massæ apparuerit, absque ulla substantiæ soliditate. Sexto lien non modo ingentis magnitudinis sæpius visitur sed quandoque etiam satis exiguus & contractus, durus autem simul tunc semper esse solet. Per pauca saltem memorare placet, hac de re Exempla: Sic *Vidus Vidius L. 10. c. 10. de curat. membr.* observavit in cachectico viro, repente Syncope mortuo, lienem columbacei ovi magnitudinem non excedisse, durum ac compactum ut lapidis duritiem imitaretur. *Vesalius L. 5. c. 9. de corporis hum. fabrica*, notavit in viro aqua intercutem mortuo, lienem albidum, sed exiguum. Facile patet decrementum pati lienem & contractiorem eum fieri, quando propter obstructa & corrugata & indurata vasa sanguinea, sanguis non potest ad illud viscus pertingere, à cuius copia ejus moles & magnitudo dependet.

§. XI.

Consideravimus hactenus varia vitia, quibus humanus lien affectus est, ordo jam poscit, ut recenseamus quoque graves morbos ac symptomata, quæ ex liene male affecto manant ac oriuntur. Placet vero maxime omnium, quæ nobis de morbis splenis scripto reliquit *maximus antiquissima Medicinæ Antistes, Hippocrates*, paulo penitius in considerationem ducere: *Ipse*

autem de intern. affect. text. 34. & 49. sequentia habet; Patitur æger ab hoc morbo splenis hæc: Venter inflatur, postea splen intumescit & durus est & dolores acuti in splenem incidunt, color autem mutatur & conspicitur niger, pallidus, malicorii speciem referens, & ex aure male olet, & gingivæ male olent, & à dentibus discedunt, & ex tibiis ulcera erumpunt, & velut pustulæ nocturnæ, membra vero attenuantur & ster-
cus non succedit. *Idem L. 35.* Alius splenis morbus fit veris maxime tempore, verum à sanguine, cum enim repletus fuit splen sanguine, erumpit in ventrem, & dolores acuti in splenem incidunt & in mammam & in claviculam & in humerum & sub scapulam, color autem corporis plumbiformis est & parva ulcuscula, velut lancinata in tibiis exurgunt, ex quibus ulcera magna fiunt & primum infra secedunt, sanguinolenta sunt & æruginosa & venter durus subit & splen velut lapis est. Et idem gravissimus *Autor 2. Prorrh. text 42.* hoc de lienis tumore tradit indicium: quibus oculorum subcava attolluntur valde, hos lienes magnos deprehendes habere.

§. XII.

Clarum fit ex allegatis hisce *Hippocratis* locis, ex lienis tumore enasci maxime habitum corporis cachecticum, vasa nempe repleti sero impuro, unde fiunt pravus ille lividus color, palpebrarum tumor, tibiæ ulcuscula, corruptio dentium & male olens stillicidium ex auribus; Accedit plerumque etiam foetor oris, pedum inflatio, sanguinis ex gingivis eruptio, ulcerum in tibiis difficilis sanatio: Ratio nempe cachectici istius mali est cessatio muneris quo lien fungitur, dum enim obstructus crasso sanguine est, ipse non potest circulum ac transitum per hoc viscus absolvere, sed potius statim, vel per anastomosin, quæ est in ingressu inter arteriam & venam splenicam ad venam portæ redit, vel si transit cum impedimento per hoc viscus, simul contagio putrido & vappido, sanguinis stagnantis vel extravasati imbuitur, unde loco sanguinis spirituosius, floridius, adducitur ad venam portæ & totum cor-

corpus sanguis luridus, crassus, non exacte mixtus, fœculentus, qui spiritus paucos gignit, imo spiritus ascensionem vitalem intestinam sanguinis deprimit, unde circulatio & cum ea omnes functiones retardantur, sicque augmentum fit seri superflui, impuri, quod hærens in minimis vasculis capillaribus tumorem, lividum colorem, inflammationem, ulceraque efficit putrida, idque maxime in gingivis & pedibus; nam ibi ordinario est lenta progressio sanguinis & adscensio ad cor difficilis. Uno verbo: lienis vitium & infarctus magnus, diu durans faber est cachexiæ sic dictæ scorbuticæ, quæ cognosci solet à Medicis ex plumbeo faciei colore, gingivarum putredine & arrosione, habitu corporis laxo & tumido, pedum ulceribus, scabie, respiratione difficili, inflatione palpebrarum, oris fœtore, sanguinis e naribus effluxione.

§. XIII.

Alter morbus, qui ex liene magno prognosci solet, est ipse hydrops tam anasarca quam ascites. Accidit tumor hydropicus maxime in febribus intermittentibus præsertim quartana, quando plus justo aquam ingurgitant in paroxismo nec per vesicam aut sudorem excernunt, hinc vitiato splene subnascitur aqua interius, docente id *Langio in Epist. 41.* Quamvis enim hepar, consensu omnium fere Autorum, præsertim antiquiorum, causa sit hydropis & ex ejus vasis lymphaticis disruptis, quæ illic copiosissima sunt, aqua descendat in cavum abdominis, nihilominus vitium in splene procreare & eundem morbum potest, quoniam magnus jecoris & lienis est consensus, unde *Hippocrates L. 5. de loc. affect.* scribit, quod lienis causa totum hepar frequenter afficiat. Nam quando sanguis non rite motu evolvitur per lienem, nec ibi fluxilior & subtilior redditur, fit ut sanguis crassus majori impetu & copia incumbat in viscus hepatis, ubi facilius in portæ ramificationibus per hepar dispersis ex impeditiori motu, terrestres multas limosas partes vasis capillaribus apponit, ea obstruit, sicque induratum hepar efficit, & bilis nec non lymphæ secretionem impedit,

dit, unde ad cachexiam & hydropem transitus fit facillimus. Accidit autem hic effectus maxime si lien in scirrhum & duri-
tiem abit & inde plane contrahatur & exiguus fiat. Ita *Vesal-
lus L. 5. c. 9. de Corpor. humani fabrica* in Viro aqua intercutem
mortuo observavit lienem albidum sed exiguum. Dum ve-
ro hæc scribimus raram observationem habet *Dn. D. Præses*;
Generosus Juvenis ex potu frigido corpori prius calefacto im-
misso incidit in hydropem totius corporis, abdominis, pedum
scrotique horrendum, apertum fuit scrotum non sine suc-
cessu, dum nempe intra sex dies vel viginti libræ aquæ ex scro-
to fuerunt emissæ, quæ totius abdominis tumorem sustule-
runt. Notatu autem dignum est, quod circa sinistrum la-
tus tumor in abdomine non voluerit totus cedere & quod is
etiam adhuc auctus fuerit, quando aquæ per foramen scroti
emissio, per turundam fuerit impedita, exinde illud discimus,
splenem esse maxime affectum & sanguinem à frigido potu ibi
coagulatum, disruptionem vasorum lymphaticorum in hoc
latere, ipsoque liene ortam fuisse, præsertim cum ipse ægro-
tans, per multos annos, coloris lividi & tumidi fuerit & maculas
hinc inde in corpore habuerit lividas & flavas.

§. XIV.

Tertius Morbus qui frequens est vitiis lienis est vomitus
sanguineus, morbusque niger. Extra dubium est; quod vo-
mitus niger proveniat ex vasis dictis brevibus & arteria & vena
splenica, ante ingressum lienis in ventriculi capacissimam fini-
stram partem ubi tenuissimus est, & tunica satis exigua glan-
dulosa & fibrosa præditus, intra has tunicas dispersis, quæ à
sanguinis stagnantis copia, facile aperiri & disrumpi possunt,
unde sanguis in cavum ventriculi effunditur & per os ejici-
tur. Interdum, etiam simul vasa in intestinis aperiuntur, pro-
pter nimiam à sanguine distensionē & sic fit secessus niger fœ-
tidissimus, qui morbus dicitur niger *Hippocratis*, quo de integrā
Dissertationem scripsit *Dn. D. Præses*, qui observavit in duobus
apertis Cadaveribus disruptionem factam fuisse in intestino
ileo

ileo, non aliam ob causam, quam quod tenuissimum sit & tunica glandulosa, musculosa longe subtilior, quam in jejunio & duodeno, unde ora vasorum tecta tam tenui pellicula, ibi facilius possunt aperiri. Dependet eruptio hæc extraordinaria & summe detrimetosa per ileon & ventriculum ex lienis vitio, quod vel in tumore, infarctuque, vel in scirrho & corruptione consistit, testantibus id sectionibus anatomicis. Sic *Riolanus Antropolog. L. 2. C. 17. fol. 114.* testatur in lienosis à vase brevi sæpissime copiosas, immodicas sanguinis fusque deque ejectiones emanare se vidisse, & in nobili quodam Senatore qui rejectione sanguinis per superiora & inferiora de liene prodeuntis interierat, deprehendisse vas breve minimo digito latum & in ventriculo adaperitum. Idem testantur *Realdus Columbus rerum anatom. L. 15. p. 492. Wedelius in Physiologia reformata. Et Marcellus Donatus Histor. mirab. L. 4. c. 9.* hanc recenset historiam: Monachus Carmelitanus cum lienis tumore diu laborasset, repente in sanguinis rejectionem copiosi, crassi & foeculenti, per vomitum extramissi, incidit, eadem die & per alvum ejusdem generis sanguinem emisit, die sequenti sanguis per vias lotii exivit, cum interim de nullo dolore ulla in parte conqueretur, animam una cum sanguine fudit. A nimio pondere & magnitudine lienis non modo accidit vomitus cruentus & secessus niger, verum etiam difficilis vrina. *vid. Blancard Anat. Pract. obs. 47.* Et quod lien magnus in morbo nigro sit in culpa, *vid. obs. 23. & 32. ibid. It. Schenck obs. rar. L. 3.* ita scribens: vir cuius lien valde intumuerat, sanguinis nigricantis & grumosi libras 10. & amplius per secessum & vomitum excrevit, vnde lienis tumor longe minor quam antea fuerat, redditus est, nihilominus cum intemperantissimus esset, rursus intumuit, & postmodum, per annum a prima sanguinis excretionem in alteram consimilem incidit, ex qua in hydropem devenit & obiit. *vid. etiam Theophilus Bonett Med. septentr. L. 3. c. 4. sect. 5.* Ratio vero cur quandoque tantum sanguis disrumpat vasa ventriculi &

intestinatorum, cum tamen causa mali, nempe lienis tumor & obstructio semper præsens sit; hæc est, quod animi accedente affectu, vel quadam corporis commotione interna, ex alia causa spasmi centrum mesenterii afficiatur & sic in angustias magis redactus sanguis in vias apertas irrumpat, vaforumque orificia vi quadam referet.

§. XV.

Est quoque lienosis valde familiaris nimius sanguinis fluxus per venas ani, per quem etiam, si moderatus sit, egregie juvari solent, adempta superflui sanguinis quantitate lienosi; ratio vero cur ipsi sint obnoxii huic fluxui, hæc est: venæ videlicet hæmorrhoidalis internæ ramus, vel ex ipso ramo splenico, vel ex mesenterico sinistro nascitur & longo satis itinere sanguinem ex ano per arteriam mesaraicam adductum revehere, perpendiculari motu satis difficili, debet, quando autem sanguis non bene procedit per hepar, & stagnat in ramo splenico valde distento, necesse est, ut & in vena subsistat, & consequenter urgens sanguis a tergo per arteriam, aperiat tandem & disrumpat vaforum ora, tunica intestinali tecta. Consentit in hanc rem *Galenus, Comment, in 6. aph. L. 2.* qui lienis foeturam hæmorrhoides appellat, quibus, inquit, melancholicos, spleneticos potissimum affici, distorqueri, his sublevari communi consensu receptum est, & quandocumque etiam hic fluxus assuetus cessat, gravius inde luunt splenetici & facillime in Vomitus sanguineum vel nigram dejectionem incidunt. Alia quoque sanguinis eruptio lienosis familiaris est & quidem per narem sinistram, meminit hujus symptomatis ipse *Calius Aurelianus L. 3. c. 4. p. 413.* Et talis fluxus quandoque non inutilis est.

§. XVI.

Disponunt deinceps lienis morbi ad hypochondriaca pathemata. Recentiores equidem in intestinis & ventriculo hujus mali causam unice quærunt, sed revera falluntur, quam-

quamvis enim hic morbus in partibus nervosis & membranaceis, in ventriculi orificiis duobus, oesophago, intestinis, mesenterio diaphragmate, spasmodicis contractionibus ludat suam tragoediam, nihilominus sedes causæ in hypochondriis & ibi visceribus latitantibus, jecore, liene quaerenda, maxime omnium autem in tardo progressu sanguinis ex omnibus iis partibus, quæ ramis venæ portæ inrigantur, oritur, & quoniam lien obstructus, ad talem progressum, tardiozem multum contribuit, hinc occasionem quoque dare potest istis pathematibus spasmodicis. Fuit hæc antiquissima hujus affectus ratio, ipse *Galenus L. 3. de loc. affect. C. 7. ex Dioclis* sententia dicit: suspicandum est in hypochondriaca affectione, in illis venis quæ alimentum ex ventriculo excipiunt sanguinem esse crassum. Et *Sennertus in Praxi L. 3. Part. 5. sect. 1.* Ex stagnatione in venis mesaraicis idem malum petit. Ita etiam *Fortis Cent. 3. obs. 90.* Hanc ipsam affectionem ex lienis maxime vitio derivat & quidem ex stagnatione sanguinis in vasis mesaraicis; *qui Autor etiam ibidem dicit*: quod phlogosis pylori, intensus calor hypochondriorum & vomitus cruentus a crasso sanguine stagnante proveniant. Verum enim vero accidit sæpe, ut, qui tumore, inflatione & scirrho lienis diutius laborant, immunes sint ab hoc malo, imo sæpius hypochondriaci dissecti infontem, lienem habuerint; quibus respondemus: Equidem lien non semper est infarctus in hoc malo, neque si talis est, continuo spasmi seu symptomata hypochondriaca excitantur, nam plura certe concurrunt, quam sanguinis crassities & stasis in hisce venis, ut spasmi inde fiant, si enim vasa satis ampla sint, ut sanguis possit habere locum, si etiam per hæmorrhoides, vel per sectionem venæ evacuetur, si natura non est sensibilis & inclinat ad spasmos, si ætas vergit ad senectutem, ubi pauciores & imbecilliores spasmi existunt, utique tunc non expectanda hypochondriacis consueta symptomata sunt.

§. XVII.

Consideratis itaque iis malis & gravibus affectibus quos lienis vitia pressio pede post se trahunt, sequitur jam ut perpendamus ea signa quibus affectiones & vitia lienis dignoscere possimus. Præter jam dicta symptomata, quæ etiam, sæpius vicem gerunt signorum sunt maxime tumor & dolor gravativus in sinistro hypochondrio ad diaphragma & sinistrum humerum protensus, difficilis decubitus supra dextrum latus, pedum inflatio, cibi itidem adest fastidium & appetitus prostratus, dolores quandoque acuti sentiuntur, & ad ipsum jugulum accedunt. Ratio dolorum est, quoniam ab ipso pondere lienis tenduntur nervi lienis, it. ipse ventriculus, diaphragma, quibus annectitur. Scirrhus vero manifestatur ex duritie saxea sub sinistra parte præcordiorum deprehensa, doloris & febris experte. Præter hæc autem recte cachexia, scorbutus, hæmorrhoidum fluxus, sanguinis fluor ex naribus & supra dicti affectus demonstrant certo malum radicari in liene.

§. XVIII.

Sed ne fallamur in diagnosi, 1.) tumor lienis probe distinguendus est ab eo, qui post vehementiores corporis motus præsertim post pastum & potum accidere solet in sinistro latere, hic non lieni, sed potius arctato intestino colo adscribendus est, tunc enim copiosiores flatus, vel contenta, etiam intestinorum ad coli flexuram, quæ ex profundo descensu & ascensu longo in sinistro latere fit, disturbantur, quæ ibi hærentia faciunt dolorem tensivum, unde impressio digitorum in locum affectum, flatuum impetum retundendo dolorem sopire solet. 2.) Tumor lienis distingvendus a dolore colico, qui a scybalis ibi retentis vel ab acris humoribus oritur, dolor autem lienis magis est gravativus, colicus autem acutus, deinde lienis est chronicus, colicus autem brevioris temporis, ille quoque est fixus, colicus vero magis vagus, ille non cessat clysteribus & carminativis applicatis,

catis, hic autem vel cessat, vel levamen inde accipit notabile. 3.) Differt quoque dolor splenis quomodocunque fiat a dolore musculorum, per tactum externum, si enim muscoli dolent etiam leviter sitangantur, illico dolorem percipit, æger, dolor in splene statim a cibo sumto communicatur, & color sæpe mutatur, quod in musculis externis non fit; Quamvis difficilior cognoscantur in musculis profundioribus quam in iis, qui in superficie positi sunt. Deinde inflatio lienis distingui debet ab inflato ventriculo, ab hoc diaphragma maxime patitur & hujus tumor sese exerit magis in parte antica corporis, tumor lienis magis in parte postica est, hic etiam est magis gravativus.

§. XIX.

De prognosi etiam quædam dicenda restant: Scirrhus lienis si omnis doloris expers est, incurabilis habetur ab ipso *Hippocrate L. 6. Epidem. Sect. 6.* Enim vero non semper præsentissimum minatur vitæ periculum, sic *Benedictus Silvaticus in Consil. & responsis*, plures vidit scirrhus laborantes multos annos superstites; Refertque *Marcellus Donatus L. 6. Histor. mirab. C. 3.* Nobilem mulierem lienem tantæ molis habuisse, attamen plures filios peperit optime formatos, qui adhuc in vivis erant. Novit quoque *Forestus, qui vid. L. 20. obs. 8. in Schol.* Nobilem quandam Matronam, quæ ultra annos 30. duritie lienis laboraverat & tamen insolitis operationibus non læsa est. Quod si vero Scirrhus adhuc dolet, curationem aliquam licet difficulter admittit, quinimo aliquando naturæ critico conatu quodammodo evanescit, prout contigit *Bioni apud Hippocratem propos. 2. in 2. Epidem 27.* qui per copiosum sanguinis effluxum ex nare sinistra & urinæ profluvium sanatus fuit; *Bion*, inquit, *Hippocrates*, simul copiosa me jebat sine sedimento, & sanguis per sinistram narem fluebat, erat enim splen in gibbum elatus & durus & sursum elatus, superstes fuit. Deinde bonum pronuntiant eventum profluvium ventris. Ita enim *Forestus L. 20. obs. 6.* scribit: sicut ex nare sinistra sanguinis profluvium:

ita & profluvium ventris bonum prænuntiat in morbis lienis exitum. Et *Aëtio teste L. 10. c. 15.* ventris fluxus bonum augurium præstat. Et *Hippocrates*, si supervenit lienteria lienicis in bonum cedere iudicavit. Accedit etiam quod hæmorrhoidum fluxus splenicis valde sit utilis, unde *Hippocrates 6. Epidem. Sect. 6.* non affirmare erubescit, lienis affectu non laborare quibus hæmorrhoides fluunt. Porro nec hoc sicco prætereundum est pede, quod catarrho obnoxii raro splenetici fiant, ratio est, quoniam aquosa, fluida materia, crassa & melancholica adest. Et *Hippocrates* consentit etiam in hanc rem dum *L. 2. Epidem. 44.* affirmat, minus intumescere lienem iis, qui laborant à Capite. In inflammato liene si sanguis è naribus fluit magnam afferre solet utilitatem, sicuti etiam id confirmat *Forestus L. 20. obs. 6. in Schol.* inquiens. In viro inflammatione lienis laborante, quarta die è sinistra nare sanguis erumpit, magnam afferens utilitatem. Illud denique notabile est, quod lienis tumor non sit perpetuus, sed quandoque tantum urgeat, certis anni temporibus, vel certo cœli statu. Ita *Turneuserus in Examine urinarum*, adducit scēminam juvenem, formosam, quæ subinde plenilunii tempore gravissime ex sinistro latere ad triduum usque affligebatur, quo exacto dolor eousque remittebat, donec novum plenilunium instaret; In liene quod rarissimum est inventus lapis castaneæ magnitudinis, subalbidus, alabastrini mollitie, pondere unc. i. & drachm. ix. laminis ovorum putaminibus invicem crustatim involutis, similibus, concretus. Non minus urinæ profluvium conducit, sic *Valerius exercit. 40. ad Hollerium de morb. intern.* affert virum cui ter aut quater in anno maxime vere aut autumno ineuntibus intumescit lien ac dum prominulus tumor instat, dolore hypochondrii infestatur, sublividus toto fit corpore, sensimque deterius habet; sed tandem nigricantibus urinis atramento simillimis erumpentibus per 5. aut 7. dies pristinam resumit incolumitatem, tumore & gravitate hypochondriorum evanescentibus. Jam autem 12. vel 15. annis urinarum profluvio

vio detinetur, cum antea turgidas, sed minus apertas habuisset hæmorrhoides.

§. XX.

Quod attinet ipsam curam commendamus ante omnia hic in tumore lienis à sanguine, præsertim in plethoricis & sanguineis venæ sectionem, & quidem in pede institutam, quam omnes veteres, ut *Celius Aurelianus L. 3. c. 3.* commendant, quoniam vero dum per hæmorrhoides vel nares expurgatur sanguis, hoc malum sublevatur, hinc colligitur, quod sanguinis missio per venam insigne sit solatium hoc malo affectis. Meretur hic commendari egregius locus *Galenus Lib. de sanguinis missione not. 16.* Perpetuo insignem utilitatem observavit sanguinis missionem ex sinistro latere, hac cautela, ut si niger & crassus effluat, educatur in magna copia, si autem pallidus & tenuis non multum. Deinde hæmorrhoidum apertionem præsertim in assuetis mirifice commendamus, habemus in hac re consentientem *Hippocratem L. 6. Epidem 6.* qui scribit: hæmorrhoidum apertio indurationem lienis sanat, sanguinem atrabilarium seu crassum & copiosum solvendo. Potest hoc commode fieri per applicationem hirudinum, quam *Celius Aurelianus l. c. & Fortis Cent 3. obs. 40.* laudant. *Idem hic. cit.* Autor quæstionem movet, an in lienis affectibus quando cæcæ adsunt hæmorrhoides sanguis sit educendus per hirudines vel an eæ sint exsiccandæ. *Galenus Sect. 4. aph. comment. 25.* scribit, hominem non esse ad evacuationem per hæmorrhoides assuefaciendum & rationem reddit, quia uterque excessus progressu periculosus evadere potest, seu nimis, seu nihil sanguinis effluat, quare nullo modo abundantes humores excrementitii ad illam partem ducendi & minus attrahendi ut evacuentur; potius itaque sunt exsiccandæ topicis, si autem hæc non sufficiant ad apertionem sensibilem deveniendum, quæ licet procurari soleat hirudinibus applicitis, felicior tamen semper succedit incisio, ad instar phlebotomiæ ferro facta, quæ, cum sit operatio magis expedita, minor etiam succedit humo-
rum

rum attractio, quam ab hirudinibus, diu partem fugentibus, quæ præterea tenuiorem sanguinem attrahunt, crassior vero per angustum foramen non educitur, sed in parte relinquitur; ad quam operationem tunc deveniri permitto, quando hæmorrhoidum aliqua valde repleta sanguine turgēt, & dolorem molestum infert, neque carnis excrescentia superemineat.

§. XXI.

Tertio non præsentius remedium contra lienis morbos inveniri posse existimo usu debito acidularum, ipsa enim ratio hoc dicitat & experientia luculentissime id confirmat. Acidulæ enim tum copia tum spirituositate sanguinem illum crassum diluunt, resolvunt, & fluxilitate sua vasa lienis minima op-pleta sanguine præsentissime solvere & deoppilare solent, nihil enim magis contrarium crassitie quam fluxilitas. Et habuit *Excell. Præses* ante annum exemplum in viro hujus loci sanguineo, alias sano, cui lien intumuit & molesta pathemata peperit, appetitumque prostravit, qui levamen quidem aliquod sensit ex vena secta in pede, plane tamen malum non sustulit, tandem perfecte liberatus fuit superiori anno usu acidularum *Pyrmontensium*. Nam certe, nec ullum purgans, nec aperitivum, nec alterans, nisi fluidum sit & in copia præbeatur, tumori talismodi removendo aptum & conveniens existit, unde non sine fundamento veteres mirifice in lienis affectibus commendaverunt aquam extinctionis fabrorum. Ex his eminet *Cornelius Celsus L. 4. c. 19.* In lienis morbis potu, inquit, jeiuno dari debet stomacho absynthium incoctum & post cibum aquam à fabro ferrario in qua candens ferrum extinctum est, hæc enim præcipue lienem coercet, quod animadversum est in illis animalibus quæ apud fabros educata exiguos lienes habent. Et *Antonius Benivenius Cap. 105. de abditis* scribit: Multos nos tali vitio affectos curavimus inter quos unum, quem cum septennio hoc morbo vexatus frustra multa consilia & pene infinita præsidia expertus fuisset, solo tandem capparî qui tali ægritudini aptis-

simus

simus cibus est, solaque aquæ vi in qua faber ferrarius sæpe candens ferrum extinxit, annua portione liberavimus *Et Servius L. 2. Institut. med. c. 3. membr. 1. p. 127.* hypochondriacis commendat refrigerantia, serum lactis, aquas acidulas &c. *Cælius Aurelianus quoque L. 3. C. 3.* usum aquarum naturalium laudat.

§. XXII.

De martinalibus etiam, quæ mirificis laudibus extolli solent in affectibus hisce aliquid dicendum : Afferimus vero ea non carere suo usu ac laude, non quidem ut acidum absorbent, sicuti plurimi existimant, acidum enim non est ipso in sanguine vel lienis affectus parat, sed sanguinis crassities est, neque acido per sanguinem disperso corrigendo, vel temperando proportionata esset tam exigua portio remedii martialis; sed potius agit roborando & tonum restituendo nimium dilatatis & relaxatis fibris vasorum & glandularum, ut hac ratione sanguinis & humorum circulus celerior & citatior fiat quemadmodum etiam id ad oculum patet, dum ab usu martialium facies fit floridior, pulsus celerior. Parum tamen ipsum solum prodesse cum *Forti Cent. 3. obs. 40.* præsertim in scirrhis tumoribus existimamus, nisi in actum deducatur, per magnam quantitatem liquidi, utpote omnis motus & impulsus frustraneus est, nisi materia prius mobilis facta fuerit. Commode hunc in scopum decocta vel infusa herbarum spleneticarum acui & condiri possunt tincturis martialibus. Experti sumus, scribit *Fortis obs. 41.* efficacissimum salem, martis cum decocto farsæparillæ, quod mirabilis ad duros tumores emolliendos.

§. XXIII.

Ulterius notum est, quod inter specifica splenetica, tam recentiores, quam veteres commendare soleant scolopendrium, chamæpytin, rad. capparis, corticem tamarisci, cuscutam epithymum, absinthium, rad. cyclaminis, melistam, lamium &c. Dicimus nec hæc destitui suo fructu &

operationem suam exferere, dum terrestri quodam subtili adstrictivo principio, fibras nimium relaxatas roborando, celeriores progressum sanguini & humoribus injungunt, & hoc pacto obstructa vasa referant. Meretur legi quod habet *Forestus L. 20. obs. 2.* qui adducit vetulam lienosam, quæ etsi jam 20. annis laborasset tumore lienis duriusculo solo continuo esu capparum convaluisset. Solo oxymell. squill. *Elidæus* Bononiæ in nosocomiæ vitæ curavit quendam splenicum tribus annis eo malo detentum, *vid. Forestus l. c. Solenander* in obstructione & scirrhus lienis commendat lamium seu milzatellam, edoctus a monacho Hetrusco, qui singulis diebus hujus herbæ aliquod folia contusa & ovo incocta exhibebat edenda & permultos curabat.

§. XXIV.

Tandem commendamus motum Corporis & maxime equitationem, juxta *Plautum* enim ambulatio lienosis est magna medicina. Novit aliquos *Aetius* qui ex solis deambulationibus & exercitiis, ante cibum, corpore superfluiditatibus non abundante ab omni affectione lienis sunt liberati. Motu enim & frequentiori diaphragmatis descensu succutitur hepar quod diaphragmati adjacet & ita promovetur sanguinis motus pervenas mesaraicas & totum tractum venæ portæ, ejusque circulus augetur, qui ad obstructiones in vasis solvendas unice aptus est. Postremo alvum in hisce morbis, præsertim quando pathemata urgent semper apertam, habere præstat, id quod commode fieri potest per Clysteres aperitivos, carminativos, pillulas de tribus, *Beccher. Clafsian.* mixturas ex anima rhabarb. auro fulm. arcan. duplic. tartaris. tartaro constantes. Alvo enim aperta dolores & spasmi notabile decrementum patiuntur.


§. XXV.

De Topicis restant quædam dicenda, neque hæc defraudanda plane sunt laude sua; vulgo commendare solent, oleum cappar. Empl. de ammon. de tabaco, de cicuta, it.

Cataplasmata ex emollientibus, succo bryon. cyclam. ebulo composita, nec sine ratione, præsertim si applicentur illo loco ubi lien situs est; penetrando enim particulis suis volatilibus & balsamicis, fibris relaxatis robur quoddam conciliare possunt. *Hieron. Fabricius ab aquapendente L. 1. Chirurg. C. 51.* commendat ceratum sequens pro splene, factum ex duabus part. ammoniaci in aceto dissoluti, una succi herbæ reginæ quam tabacum vocitant, dimidia resin. pini & terebinth. & succi ebuli, una olei de cappar. & ceræ novæ q. s. ad conficiendum emplastrum.

§. XXVI.

Coronidis loco etiam subjicienda est curiosa quæstio, num conferat & possibile sit, ut si desperatum malum est & lien nimis magnus & scirrhusus, ingens vitæ periculum imminet, ipsum lienem excindere. De lienis canum excissione res nota est; de liene autem humano res adhuc dubia, habemus tamen exemplum apud *Fioravantium in thesauro vitæ humane L. 2. c. 8.* quod contigisse fertur Anno Christi 1549. Uxor, centurionis anno ætatis 24. scirrhus lienis ita ob pondus affligebatur, ut præ dolore anxie mortem expectaverit; Accessit chirurgus, malumque inspiciens desperatum, excogitavit remedium itidem desperatum, sicque consentiente ægra abdomen dissecuit, excissoque pondere lienis prægrandi abdomen iterum consuit atque ita ægram spatio 24. dierum feliciter restituit: Nostro judicio res est perili non expers in homine excindere lienem, nihilominus existimamus hoc auxilium quandoque desperatum posse succedere si ætas & robur subjecti consentiant, peritusque sit chirurgus si enim possibile est ut foetus ex utero possit excindi uti memorabilia habemus exempla præfert. *in Marcello Donato*, quidni etiam fieri posse in liene non dubito.



CLARISSIMO
DN. CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.



Inventum Deorum & omnium artium nobilissimam Medicinam esse, constans olim venerandæ Antiquitatis fuit sententia, nihilominus effato Medicorum Principis habetur vilissima, propter temeritatem eorum qui eam exercent & propter homines qui temere de medicationibus judicant. Omnino divina est Scientia, qua non præstantior potest excogitari, sed

sed quoad exercitium Praxinque medicam miserrima est. Misera enim est vita Medicorum, qui quando aliis est male, ipsis est male; Hi dies noctesque sæpius vigilantia, assiduitate, cura, anxioque sollicitudine, meditatione, ægrotantium, qui ipsorum fidei commissi sunt, incolumitatem quærunt; si vero exitus feliciter non respondet, vel culpa naturæ succumbentis, vel morbi vehementia, pessima hominum ipsiusque vulgi ad judicandum de medicis, eorumque medicationibus valde proclivis, sed plane inidonei, debent experiri judicia. Misera quoque in eo est vita medicorum, quod si in Praxi versantur, multa fata indoctorum temere medicinam facientium, Idiotarum, vel etiam levissimæ conditionis hominum, qui sæpius lateri eorum ad minimum clanculum adjunguntur, censuras, malitiosas insidias sustinere debeant. Prætermitto tam familiarissimum ingrati, candorisque expertis animi vitium, fraudulentasque circumventiones, quibus vulgo excipi solent corporum humanorum servatores, Quæ omnia ita sunt comparata, ut

hisce probe animo perpenſis, honeſtus Medicus
& qui quæſtus cauſa non ſanat, ab omni præ-
xeos negotio poſſit abſtèreri, niſi conſcientiæ
ratio, proximi à Deo injunctus amor, & ſe in di-
vina hac ſciantia ulterius perficiendi ardor, con-
trarium ſvaderent. Igitur ſub Præſidio divinæ
providentiæ bonæ conſcientiæ & exquisitæ ſci-
entiæ, Praxis utique eſt ineunda & omnia hæc
dicta mala, perversiſſimaque judicia, forti gene-
roſo ac patienti animo, ceu optimo adverſitatum
remedio, negligenda & ſuperanda ſunt. Me-
morare hoc volui, dum Te CLARISSIME CAN-
DIDATE, tuosque laudatiſſimos mores & præ-
ſtantem eruditionem intueor, Tu, præſidiis do-
ctrinæ & virtutum neceſſariis inſtructus, ſi ul-
lus, idoneus es, incolumitati mortalium conſer-
vandæ præeſſe & invigilare cum magna
gloria. Equidem ego non ominor infe-
licem in Praxi tua ſucceſſum præſertim ex bo-
nis tuis moribus; nam Hippocrates vere loqui-
tur de Medico: ad opinionem & autoritatem
conducit bonis ac honeſtis moribus præditum
eſſe

esse, nam cum talis fuerit omnibus veneran-
dus ac humanus judicabitur. Facile tamen
prævideo & plurima pessima fata, injurias intel-
ligo, invidiam, malitiosas insidias te experturum,
ast ad hæc mala & fortiter toleranda, & præsidium
divinum, circumspeditionem & patientiam
ex animo apprecor.



